

1508 pectato, ullas cum Maximiliano Senatus indutias faceret: nihil ad se, in Italia fœderatos aut amicos illis indutiis esse inclusos, pertinere: unum Menapiorum ducem Maximiliani potentia non objici se tantummodo voluisse: id ereptum sibi esse ab republica, a qua juvari in primis debuerit: sibi tamen auri libras esse paratas decies millies, iis illi auxilio se futurum, neque passurum, ut fœderatorum suorum injuria opprimi ab ullo possit. Ea oratione iracundiæ suæ impetu apud legatum pronunciata, cum se id fecisse pœnituisset, ad tranquillitatem se conversum postea simulavit, mitioresque sermones habuit, præsertim cum Antonius legatus reipublicæ factum excusavisset: Senatui id respexisse, ne Maximilianus indutiarum tempore Mediolani res perturbare, atque ei molestiam id ob regnum inferre posset: neque cum illo rempublicam ulla alia, nisi Italarum rerum causa, esse conjunctam. quid enim ei cum transalpinis? Sed qui jam antea non amico in rempublicam animo esset, ejusque secundis rebus magnopere invideret, facile eam ob rem succensus, clam ad malas cogitationes se se dedit: tametsi suo chirographo se indutias comprobaturum Antonio legato confirmavisset. Iisdem fere diebus, quibus ea intellecta sunt, Hieronymi Donati, Petri Marcelli magistratuum Cretensium literis Patres cognoverunt, tantos terræmotus ea in insula fuisse, ut magna ædium & fanorum pars corruerit: ipsorum domos in oppido Candia, tum reliquorum prope omnes, quas modo tremor solo non æquaverit, ea vitia fecisse, ut lapsuræ jamjamque videantur: mortuos sub ruinis ad eam diem esse repertos circiter quadringentos, in quibus sint ex coloniæ nobilitate non pauci: arcem in Lyctiis dejectam esse: omnes patres familias cum uxoribus & liberis sub dio degere, ejus rei periculo perterritos. Huic ingenti malo reipublicæ illud etiam est incommodum adjunctum, quod Contarenius cognomine Camalis triremium & ipse reipublicæ præfectus, dum e Corcyra domum reverteretur, duabus ex sua classe navibus, quarum in una erat ipse, tempestate disiectis, atque in Piceni elisis li-
tore,

*Terræmotus
in Creta.*